



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput I. Beneficii notio & divisio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

tus deinceps suspensus a suo ministerio manet, hancque contra suspensionem ministrans irregularitatem incurrit, dignitates omnes deperdit, nec alias, donec a Papa habilitetur, acquirere novas potest, juxta Bullam eandem.

Pœnæ simoniacorum circa *ordinis ingressum* notari istæ debent. 1. Pro admissione, aut sacra professione quidquam dantes, vel accipientes excommunicationi subjacent, si sint personæ singulares; si vero integrum capitulum sic suscipiat, vel aliis consentiat, suspensionem ab officio incurrit (*Extravag. Sanc. de Sim.*). 2. Simoniace professus ad arctius detrudi monasterium debet ut ibidem execrabilem excessum sine intermissione deploret (*cap. De Regularibus. De Simonia.*).

SECTIO VII.

DE
BENEFICIIS ET PENSIONIBUS

CAPUT I.

Beneficii notio, & divisio.

Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis provenientes, Ecclesiæ auctoritate constitutum, & alicui propter officium spirituale concessum.

I. Jus

1. *Sus perpetuum* Beneficium dicitur, & per hoc a pensionibus, a Dignitatibus, & Vicariis temporariis distinguitur. 2. *Ecclesie auctoritate* constitui debet, cujus defectu capellanie, quas nobiles in suis castris, divites in suis domibus perpetuo duraturas propria auctoritate fundant, Beneficii ecclesiastici naturam numquam induunt. 3. Propter *officium spirituale* Clericis jus istud est concessum, prout jam supra, de horis canonicis agentes, monuimus. Non autem sola Breviarii recitatio, sed alia adhuc servitia, quae Deo & Ecclesie impendere Beneficiarius debet, *officii nomine* comprehenduntur. Unde simplices adeo Beneficiarios, qui praeter pensum canonicum, aut Missam nihil servitii ecclesie cathedrali, aut matrii praestant, Episcopus tolerare non deberet, sed eis quaedam munia, quibus divinus cultus, & Ecclesie bonum promoveretur, committere. Quod in politicis feudum, hoc in ecclesiasticis Beneficium est. Principes Nobilibus feuda concedunt, ut hi are & armis auxilium regno ferant. Ecclesia Beneficia Clericis consignat, ut spiritualibus officiis Dei gloriae augendae studeant, dataque opera sacra jura tueantur. Notent hoc Clerici, qui turpi in otio ecclesiasticas fruges consumunt, qui pro ecclesiis, & spirituali fidelium bono nempe nihil agunt; sed & temerariis litibus, & contractibus fundos minuunt, proventus dilapidant &c. Certe sicut ingrati vasalli feudo, ita & imbelles hi Clerici Beneficio omnino indigni sunt.

Varias

Varias Beneficiorum divisiones Doctores præcipue Canonistæ afferunt. Communiones sunt 1. in *simplex* quod curam animarum aut specialem dignitatem adnexam non habet, ut capellania simplex, Canonicatus; & *Curatum*, cui cura animarum est adjuncta, uti Episcopus, Parochia, Abbatia, Prælatūra &c. 2. in *seculare*, & *regulare* primum clericis sæcularibus; alterum nonnisi regularibus est conferendum, 3. juxta Jus novum in *titulare*, & *commendale*. Illud cum plenitudinæ juris perpetuo Clerico traditur: hoc per modum solius administrationis alicui conceditur. *Commendata* autem ejusmodi Beneficia dicuntur, quia hæc, alias regularia, Clericis sæcularibus veluti administratoribus summus Pontifex commendat & confert, quin eorum naturam immutat. Quodsi diversus acquirendi modus attendatur, 4. Beneficium aliud dici potest *collativum* quod Episcopus libro ac proprio motu confert, aliud *patronatum*, quod ab eodem confertur illi, quem Patronus nominavit ac præsentavit; aliud *electivum*, quod via electionis, & superveniens confirmationis obtinetur.

CAPUT II.

Regulæ a Beneficiorum collatoribus observandæ.

Sex præcipue modis ecclesiastica Beneficia obtinentur, 1. Libera collatione; 2. Patroni præsentatione, & Prælati institutione; 3. Electione & confirmatione; 4. Postulatione & admisso-